

Quum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert: magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cujusque civitatis sunt; atque ea juventutis exercendae ac desidiae minuendae causa fieri praedicant. Atque, ubi quis ex principibus in concilio dixit, *se ducem fore; qui sequi velint, profiteantur;* consurgunt ii, qui et causam et hominem probant, sumique auxilium pollicentur, atque ab multitudine collaudantur: qui ex iis secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque iis rerum postea fides derogatur. Hospites violare, fas non putant; qui quaque de causa ad eos venerint, ab injuria prohibent sanctosque habent; iis omnium domus patent, virtusque communicatur.

XXIV. Ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quae fertilissima sunt, Germaniae loca circum Hercyniam silvam, (quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam esse video, quam illi Orcyniam adpellant), Volcae Tectosages occupaverunt atque ibi considerunt. Quae gens ad hoc tempus iis sedibus sese continet, summamque habet justitiae et bellicae laudis opinionem: nunc quoque in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur; Gallis autem provinciae propinquitas, et transmarinarum rerum notitia multa ad copiam atque usus largitur. Paulatim adsuefacti superari, multisque victi proeliis, ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant.